



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XVII. Vtrùm gratia excitans sit principium physicè adiuuans præsertim vbi
habitus infusus deest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

hac differentia optimè confirmatur ex verbis Christi Matth. 11. Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quae facta sunt in te, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent. & verbis cap. 12. Viri Ninivitarum surgent in iudicium generatione ista, & contemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in predicatione Iona, & ecce plus quam Iona hic. Confirmatur etiam ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. dicente, Iustitiam in nobis recipientes vniuersique secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Nam ex his verbis colligimus mensuram sanctitatis in suo genere esse hominis dispositionem: dispositio autem cum sit actus supernaturalis deliberatus, est proprius effectus gratiae adiuuantis, cui & nos cooperamur, & illa nobiscum; ergo gratia adiuuans est, etiam in ratione auxilij mensura, & regula sanctitatis, quia talis gratia adiuuans feruat proportionem cum dispositione, & cooperatione nostra, quia nec nos possumus plus cooperari, quam Deus nos adiuuet, nec Deus minus adiuuat, quam nos cooperemur.

Sed obicitur potest contra vtrumque membrum. Contra primum quidem, quia idem Concilium ait, Iustitiam dari secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult; ergo prima, & vnica mensura sanctitatis est voluntas Dei, quae magis, vel minus efficaciter hominem vocat, prout vult; ergo potius vocatio, quam gratia adiuuans est prima mensura sanctitatis, vocatio autem pertinet ad gratiam excitantem. Et confirmatur ex Augustino, qui multis in locis ad vocationem reducit totam varietatem in hominis conuersione, vel sanctificatione, vt videre licet in dicta quaest. 2. ad Simplician. & lib. de bono perseuer. cap. 14. Contra alteram verò partem fit obiectio, quia sequitur conatum liberi arbitrij esse radicem, & mensuram sanctitatis, quod videtur esse Semipelagianum. Sequela patet, quia gratia adiuuans quoad actuale influxum datur iuxta conatum liberi arbitrij, nam si liberum arbitrium non conetur, non datur: si autem conetur, datur, & ita semper iuxta proportionem nostri conatus tribuitur; ergo tandem in nostrum conatum fit vltima resolutio.

Ad priorem partem respondetur, voluntatem Dei esse primam, & principalem causam auxilij adiuuantis, & ideo quamuis auxilium sit veluti proxima mensura sui effectus non excludere, imò includere voluntatem Dei, tanquam primam & principalem causam. Ad Augustinum verò respondemus, nos hic loqui de auxilio excitante generaliter, abstracto ab efficaci, vel sufficiente: Augustinum autem illis locis loqui de vocatione congrua, quae est auxilium excitans efficax, & de illo etiam est verum esse certam regulam sanctitatis, tamen id habet, quatenus aliquo modo includit auxilium adiuuans, vt libro quinto dicitur.

Ad alteram partem respondetur, conatum liberi arbitrij, si per se solum consideretur, non solum non esse regulam sanctitatis, verum etiam nihil per se conferre, vt Pelagiani errabant. Conatus autem liberi arbitrij vt cooperantis adiuuantis gratiae multum valet ad salutem, & in suo genere potest dici mensura sanctitatis, cum Concilium dixerit illam infundi iuxta hominis dispositionem & cooperationem. Inde tamen non sequitur conatum liberi arbitrij esse rationem in qua sit vltima resolutio, cur homini talis, vel tanta gratia tribuatur, tum quia (vt dixi) conatus liberi arbitrij non est separandus ab influxu gratiae adiuuantis: tum etiam, quia licet auxilium gratiae adiuuantis non conferatur, nisi cooperanti arbitrio, nihilominus talis cooperatio, non est ratio ob quam detur tale auxilium, sed est concausa sine qua non datur. tum denique, quia etiam ille conatus est ex vocatione, &

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

in illam vt in priorem causam reducitur, vt in libro quinto latius dicemus.

Ex his verò incidens oritur quaestio, quae videlicet, sit maior gratia, ceteris paribus, seu ex suo genere, an excitans, vel adiuuans, videri enim potest excitans. Primo, quia magis gratis datur, vel saltem minus dependenter à nostra libertate: nam sit in nobis sine nobis, cum tamen adiuuans non detur sine libera cooperatione nostra, in quo videmur nos aliquid ad illam conferre, ex quo capite videtur ratio gratiae in illo minui. Secundo, quia gratia excitans ex suo genere non supponit aliam gratiam, & ideo si resoluitur vsque ad primam, non potest cadere sub meritum, nec esse villo modo debita. Adiuuans autem gratia ex suo genere, vel cadit sub aliquod meritum quatenus liberum vsum postulat, vel saltem semper est debita ratione alicuius gratiae prioris, quam semper supponit, & ita semper est gratia pro gratia. In contrarium verò est, primo quia gratia adiuuans magis sanctificat hominem, quam gratia excitans, vt in puncto proximè precedente dicebamus. Secundo, quia actus fidei, charitatis, & similes, qui liberè sunt per virtutes infusas, perfectiores sunt in speciebus suis, quam motus gratiae excitantis, qui illis cum proportionem respondent, seu qui propter illos dantur, vt videtur per se notum ex haecenus dictis, tum quia actus virtutum theologicarum sunt perfectissimi in toto ordine gratiae, & idem est de ceteris cum proportionem, tum etiam, quia motus indeliberati gratiae excitantis ordinantur ad hos actus tanquam imperfectum ad perfectum: sed influxus gratiae adiuuantis proximè datur ad hos actus perfectos, & realiter est idem cum illis; ergo est perfectior, quam excitans gratia.

Respondetur has duas gratias posse comparari, vel in absoluta perfectione entis, vel in ratione, seu habitudine liberalis, seu gratuiti doni. Priori modo praefenda videtur gratia adiuuans propter rationes factas, nec quo ad hoc obstat quod actio gratiae adiuuantis, pendeat à libero arbitrio, tum quia pendet ab illo vt ab instrumento Dei per obedientialem potentiam operante, quod actionis perfectionem non minuit: tum quia etiam motus gratiae excitantis pendet effectiue à nostris potentis, quamuis prior dependentia sit libera, & non haec posterior, quod non minuit prioris perfectionem, sed potius commendat. In ratione autem doni liberalis ferè seruant quandam aequalitatem, quia etiam gratia adiuuans si reducatur ad primam in suo genere, non potest cadere sub meritum, vel dispositionem hominis, quia non magis supponit opus liberum meritorium, quam gratia excitans, & quamuis requirat cooperationem liberam, non tamen priorem, nec vtrationem ob quam detur, sicut dixi, & ideo nihil minuitur ratio gratiae. Dixi autem ferè, quia licet neutra istarum gratiarum sit debita homini alicuius conditionis naturae, non tamen inter se seruant ordinem, ideoque supposita gratia excitante, ratione illius potest dici aliquo modo debita, quod absolute non minuit rationem gratiae quia illud debitum non tam est respectu hominis, quam ex parte Dei, & prouidentia eius, & ex quadam proportionem inter gratias ipsas.

CAPVT XVII.

Verum gratia excitans sit principium physicè adiuuans, praesertim vbi habitus in se ius deest.

Diximus de actuali influxu gratiae adiuuantis, superest explicemus quod sit principium suuaturalis, à quo proximè, & principaliter plicanda.

tale auxilium efficitur; hanc enim suprà appellauimus gratiam adiuuantem per modum principij: non tractamus autem de influxu Dei per modum generalis concursus, de quo postea videbimus. Nunc igitur solum agimus de proprio principio particulari, quod iuuat potentiam, quæ de se est insufficientis principium proximum ad eliciendos actus illos. Primum quando iam est informata habitu, & de hac etiam nunc non tractamus, quia supponimus iam habere intrinsecum principium coadiuuans: an verò indigeat aliquo alio auxilio, postea videbimus. Alio ergo modo contingit huiusmodi actum elici à potentia nondum informata habitu, ut in conuersione ad fidem contingit, in prima voluntate credendi, & in conuersione peccatoris fidelis, in vltima dispositione ad gratiam, ut infra videbimus; & certior est in remotis dispositionibus supernaturalibus, quæ etiam tempore antecedunt habituale iustitiam, & à solo habitu spei sepe elici non possunt. De his ergo actibus est difficultas à qua gratia adiuuante per modum principij physice procedant.

2. Nonnulli moderni Theologi docuerunt huiusmodi actus procedere effectiue ab ipsa gratia excitante, & illammet iuuare potentiam tanquam principium physicum ad eliciendum actum. Et primum ad id suadendum inducunt Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. quatenus dicit, peccatorem vocari à Deo, ut per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratie liberè assentiendo, cooperando disponantur. Significat enim Concilium hominem cooperari gratie excitanti; ergo etiam sentit excitantem gratiam cooperari ipsi homini: nam hæc duo correlatiua sunt, & consequenter etiam significat eandem gratiam excitantem cooperando homini fieri adiuuantem; ergo sicut cooperatio hominis physica est, ita etiam cooperatio gratie excitantis; ergo est gratia adiuuans per modum principij physici. Secundo ad idem inducitur Augustinus, quatenus sepe docet vocationem esse gratiam efficacem, vnde aliquando vocat illam effectricem bonæ voluntatis, interdum de illa dicit dare vires efficacissimas voluntati, sepe etiam per vocationem dicit facere Deum, ut velimus, vel ut faciamus, & auferre ab homine cor lapideum, & dare cor carneum, & similes effectus quos Scriptura diuinæ gratiæ tribuit. Hos autem effectus facit Deus in nobis verè & physice; ergo principium proximum per quod illos facit, est vatio; ergo etiam vatio facit illos propriè, & physice, nam illa verba hoc in proprietate significant, & nulla est ratio ob quam ad metaphoricos sensus trahantur. Vatio autem (ut sepe diximus) est gratia

3. Probatur etiam ex Augustino. excitans; ergo. Tertiò additur ratio, quia voluntas indiget aliquo principio supernaturali co-efficiente huiusmodi actum, & non habet habitum, ut supponimus, nec aliud potest facile fingi; ergo non potest esse nisi excitatio ipsa. Et confirmatur, nam per illam datur homini auxilium sufficiens, ut possit operari, si velit; ergo per illam datur principium physice adiuuans: nam si ne hoc non potest voluntas velle, sicut oportet; ergo hoc etiam principium datur per gratiam excitantem; ergo ipsa met gratia excitans est tale principium, quia præter illam nihil cum illa, aut ex vi illius necessariò datur.

4. Probatur ratione, quia aliud principium super-naturale fingi nequit. Nihilominus assero motus gratiæ excitantis non esse principia physica adiuuantia potentiam ad eliciendos actus deliberatos gratiæ adiuuantis. Hæc assertio ratione præcipue probanda est, quia in hoc puncto non habemus positiuam auctoritatem Scripturæ, Conciliorum aut Patrum: supposita autem ratione autoritate negatiua satis probabiliter eam confirmare poterimus. Ratio-

nem autem in hunc modum declaro, nam duobus modis cogitari potest, quod motus excitantis gratiæ sit principium formale, quo voluntas verbi gratia, elicit supernaturalem consensum. Primum, quia natura sua est forma connaturalis potens producere talem effectum, & habens ad hoc sufficientem virtutem in suo genere principalem, ad eum modum, quo habitus infusus censetur esse principium sui actus. Secundò potest motus gratiæ excitantis cogitari tanquam instrumentum physicum, quo Deus vtitur ad iuuandam potentiam carentem habitu, eleuando nimirum motum ipsum excitantis gratiæ ad hanc efficientiam, quamuis ad illam ex se non habeat connaturalem, vel sufficientem virtutem: neutro autem horum modorum videtur posse satis probabiliter defendi illa gratia; ergo asserenda non est.

Probo igitur in primis in motibus gratiæ excitantis non esse talem vim actiuam, & in suo ordine connaturalem. Primum, quia contingere potest, motum excitantis gratiæ esse in intellectu, & consensum esse in voluntate, vel è conuerso actum excitantem esse in voluntate, & mouere ad actum intellectus, vel vtrumque actum excitantem esse eiusdem potentie: nullo autem ex his modis potest actus gratiæ excitantis esse principium physice efficiens deliberatum consensum, dummodo ergo. Maior supponitur ex suprà tractatis. Minor autem quoad duas priores partes probatur ratione vtrique communi, quia inter actus immanentes actus vnus potentie non est principium physice efficiens alterius potentie actum, ut est in Philosophia magis receptum: tum quia actus vnus potentie non perficit formaliter aliam; nulla autem forma dat virtutem agendi, nisi subiecto, & potentie cui inest, tum etiam, quia isti actus immanentes etiam in proprijs potentijs ordinariè, non efficiunt nisi habitus, ut statim dicam, ergo multo minus possunt efficere actus alterius potentie.

Declarantur præterea singula membra: nam actus intellectus non excitat voluntatem in ordine supernaturali, nisi illo modo quo voluntas secundum connaturalem ordinem nata est moueri ab intellectu: at verò secundum naturalem ordinem intellectus non mouet voluntatem per suum actum physice efficiendo actum voluntatis, sed vel mediante obiecto, quod illi præsentat, vel persuadendo, vel alio simili modo moraliter mouendo; ergo idem est in excitatione supernaturali. Minor ab omnibus Philosophis recepta est, nemo enim dixit cogitationem malam esse principium physicum, quo voluntas præbet consensum peccati, vel cogitationem bonam esse simile principium honestæ volitionis: nam cogitatio est valde extrinseca voluntati, & non constituit illam in actu primo ad agendum, & ideo non potest illi dare vim propriam, & physice actiuam. Vnde licet inter Philosophos sint variz opiniones, an bonum cognitum concurrat effectiue ad specificationem actus voluntatis, omnes in hoc videntur conuenire, quod ipse actus cognoscendi, non est principium formale efficiendi, seu efficiendi actum voluntatis, & inter opiniones de obiecto cognito, ea longè probabilior est, quæ negat habere tale obiectum propriam efficientiam physicam in voluntate, sed tantum finalem metaphoricè eliciendo, & quasi formam extrinsecam speciem tribuendo. Ac denique licet habere aliquam efficientiam in voluntate, numquam dat illi virtutem agendi necessariam ex parte voluntatis ad eliciendum suum actum, & ideo

ex illo capite nunquam potest intellectus actus esse principium eliciens eum voluntate actum ipsius.

Quod autem eodem modo inter supernaturales actus philosophari debeamus, probatur ex altera proportionem assumpta, quia eadem est proportio; vel subordinatio virtutum, & actuum supernaturalium intellectus, & voluntatis, quæ est ipsarum potentiarum inter se; quia licet sint excellentioris ordinis, semper continentur sub eisdem generibus intelligendi, & videndi; & ideo cum eadem proportionem ad illum ordinem ascendunt, nec nos possumus aliter de illis iudicare, præsertim cum nihil aliud de illis reuelatum nobis sit. Imò potest hoc ipsum inductione quadam, etiam in ipso ordine supernaturali, confirmari: nam actus fidei fortius excitat voluntatem ad actum charitatis, quam cogitatio aliqua minus perfecta gratiæ excitantis. Nemo autem dicit actum fidei esse principium physice efficiens actum charitatis, vel contritionis. Imò etiam beata visio dici potest supernaturaliter excitare voluntatem ad amandum, & tamen actus videndi non est principium efficiens ad actum amandi. Et licet daremus obiectum propositum per fidem, vel visionem concurrere effectiue ad specificationem amoris, nihilominus per actum intellectus, vel obiectum illius, ut tale est, non datur voluntati virtus amandi supernaturalis, & ideo etiam in patria est necessarius actus charitatis, & si illi deesset, esset necessarium aliud principium, quod efficacitatem eius suppleret. Ergo multo minus potest in via sola excitatio intellectus dare voluntati virtutem ad eliciendum actus supernaturales, quam natura sua non habet, ut suppleret illam, quam daret habitus si deesset, & quæ ex parte potentie, & non ex parte obiecti necessaria est.

Alterum membrum erat, quando motus voluntatis excitat intellectum, vel inducit illum, quod duobus tantum modis in ordine naturalium actuum contingit, scilicet vel directè applicando, seu mouendo intellectum ad exercitium actus, vel indirectè tantum per quamdam veluti resultantiam. Priori modo excitat voluntas intellectum ad credendum directè volendo, ut assentiat, posteaque potiori modo per timorem, v.g. excitat ad bene iudicandum de turpitudine peccati, & per ipsam effectiuationem ad rem præceptam, vel ad præcipientem inclinatur intellectus ad bene iudicandum de re præcepta, aut de præcepto obseruando: neutro autem modo actus voluntatis est principium formale physice efficiens actum intellectus, sed applicat tantum potentiam ad agendum per quamdam naturalem sympathiam, & subordinationem potentiam, quæ in eadem anima radicanatur, ut ex Philosophia suppono quoad rationes naturales, & eadem proportio seruanda est in supernaturalibus, propter rationem supra factam.

Et declaratur in voluntate credendi: non enim quod esse est principium proprium, & physicum assensus dicitur in vo- fidei, qui est in intellectu, alias non indigeret intellectu habitu proprio ad credendum, quia per illum actum voluntatis sufficienter iuuaretur, quod est manifestè falsum. Et ratio est, quia voluntas se habet quasi imperans: potentia autem imperans non dat virtutem exequendi potentie imperatæ, sed supponit illam. Vnde (quod ad rem maximè spectat) licet illa motio voluntatis esset per aliquem influxum physicum imperantium (ut sic dicam,) nihilominus ad eliciendum assensum supernaturalem fidei indiget intellectu proprio supernaturali principio, quod voluntas illa supplere non potest. Ergo multo minus

quilibet alius actus indirectè excitans, vel inducens intellectum, potest esse proximum principium physice efficiens ipsum assensum vel supplens vicem habitus intellectualis, quia & minorem proportionem habet, & minorem, magisque accidentarium influxum in ipsum intellectum, ut per se notum est.

Tertium membrum erat, quando actus sunt eiusdem potentie: nam illuminatio, verbi gratia vel interior doctrina, quæ in intellectu antecedit per modum gratiæ excitantis ad actum fidei, comparatur ad illum sicut apprehensio ad iudicium, vel ad summum; sicut iudicium de credulitate ad iudicium de veritate rei propositæ. Apprehensio autem non est principium efficiens iudicium, quando ab illo distinguitur, sed materialiter tantum se habet applicando obiectum, & licet in suo genere, seu ex parte obiecti haberet aliquam efficientiam, nihilominus ex parte potentie supponere debet virtutem in suo genere integram, ut est in naturalibus, vel lumen intellectus per se solum respectu conclusionis per se notæ, vel adiutum iudicii præmissarum respectu conclusionis, &c. Sic ergo in supernaturalibus tota illa apprehensio, vel illuminatio, quæ antecedit assensum fidei, non dat vim per se actiuam intellectui ad credendum supernaturaliter, sed illam dat habitus quando adest: quando verò deest, aliunde suppleri debet, nam est longè diuersæ rationis, ut declaratum est. Idemque euidentissimum est in iudicio credibilitatis, nam ex illo non inferitur iudicium veritatis, ut propter connexionem possit vnum iudicium illud efficere. Vnde credulitatis iudiciunt immediatè inducit voluntatem, non tamen dat facultatem intellectui, ut credat esse verum, quod iudicatur credibile. Accedit, quod omnes isti actus antecedentes in intellectu actum credendi sunt minus perfecti, quam ipsi actus credendi; ergo non possunt dare proximam, & principalem potestatem ad eliciendum ipsum actum credendi, quam dat habitus, ac proinde non possunt vices eius supplere.

Atque hæ rationes locum habent in motibus voluntatis, nam etiam in illa motus gratiæ excitantis sunt minus perfecti, quam actus deliberati dicitur in vo- charitatis, vel aliarum, virtutum infusarum, & lunare. ideo non possunt illos efficere tanquam principia proxima principalia. Item, quia isti actus non habent connexionem necessariam inter se, nec vnus per se, & ex natura sua ordinatur ad alterum, sed iuxta ordinem diuinæ sapientiæ, & obseruata hominis capacitate, interdum per amorem, interdum verò per timorem excitatur homo ad eundem consensum. Actus autem voluntatis non est principium alterius, nisi fortè quando per se vnus ad alium ordinatur, sicut electio ad intentionem, quæ connexio non inuenitur inter motus gratiæ excitantis, & actus deliberatos voluntatis; ergo non possunt esse connaturalia principia effectiua illorum. Accedit quod præter motus gratiæ excitantis requiritur, per se loquendo, habitus adiuuans potentiam; ergo sola gratia excitans non dat virtutem agendi, quam dat habitus, neque supplet illam quando habitus deest, alias non esset necessarius habitus. Probat hæ consequentia, quia etiam iusti habentes habitum indigent gratia excitante ad vsum illorum, ut supra probatum est; ergo si illa esset connaturale principium sicut habitus, cum aliunde semper præcedat, non esset necessarius habitus.

Vnde quando homo operatur ex habitu infuso, tunc gratia excitans non concurret ut principium

Idè demon- stratur quæ- do actus sūt eiusdem po- tentiæ, nec- ad iudicium de veritate rei propositæ. Apprehen- sio enim tunc potest esse princi- pium physi- cū alterius, quod ostē- ditur in in- tellectu.

12.

13.

Gratia exci-
tans non est
principium
physicum
cum habitu
infuso, qui
per se suffi-
cit.

pium physicum; quia habitus sufficit; ergo signum est excitationem non habere natura sua illam actiuitatem. Responderi potest; habere quidem illam, praeueniri autem per habitum, & impediri ne actu efficiat: sed hoc gratia dicitur; cur enim non potius ipsa praeuenit; & impedit habitum, cum sit actualis motio. Item ad quid multiplicantur virtutes actiuae eiusdem ordinis, quae se in agendo impediunt. Magis ergo consequenter diceretur, utrumque principium simul tunc concurrere; & se iuuare ad facilius producendum effectum. Contra hoc verò obstat, quia inde sequitur habitum infusum non dari posse; nec esse necessarium ad connaturaliter operandum, quia gratia excitans dat sufficientem potestatem physicam, & consequenter sufficit ut actus connaturaliter fiat quia illa virtus esse dicitur intrinseca, & sufficit per modum principij proximi principalis: contrarium autem docent de habitibus infusis communiter Theologi; ergo signum est in motibus gratiae excitantis illam virtutem actiuam non agnouisse.

14. Superest ut probemus, hos actus excitantis gratiae non esse instrumenta physica efficientia auctans non effectus gratiae adiuuantis. Aut enim essent instrumenta connaturalia, & natura sua ordinata ad talem effectum instrumentaliter efficiendum, aut effectum essent instrumenta tantum eleuata ex sola libera voluntate Dei, & positiua institutione. Primum non potest dici cum probabilitate, tum quia ferè omnibus rationibus factis impugnari poterit, & praesertim, quia inter actus similes ordinis naturalis non inuenitur talis efficientia instrumentalis; ergo sine causa fingitur inter actus ordinis supernaturalis seruata proportione, tum etiam, quia cum motus gratiae excitantis sint minus perfecti, ut dictum est, licet haberent instrumentalem efficientiam, indigerent aliquo principio principali, quia instrumentum imperfectum per se non sufficit, & tunc insurgit eadem difficultas, nimirum quod sit illud principium, quando de est habitus, praeterquam quod posito alio principali principio sine causa fingitur illa instrumentalis efficientia, cum in huiusmodi actibus non soleat esse necessaria.

15. Vnde altera pars de instrumento eleuato, & quasi miraculoso, licet impossibile non sit, non potest cum fundamento firmari, quia de his quae sunt supra naturas rerum, & ex diuina pendunt voluntate, nihil affirmandum est, nisi quod vel est reuelatum, vel ex reuelatis sufficienter colligitur, vel saltem sufficienti auctoritate probari potest: nihil autem horum in praesenti inuenitur, ubi enim est hoc reuelatum, aut ex quibus principijs reuelatis colligitur? de auctoritate verò statim dicam. Et confirmatur, nam si motus ipsi gratiae excitantis ex se non habent connaturalem vim actiuam perfectorum actuum; ergo ut releuentur ad agendum indigent vel additione alius virtutis, vel saltem speciali motione, & cooperatione Dei. At verò eadem facilitate potest Deus immediatè eleuare ipsas potentias ad eliciendos ipsos actus sine habitibus, ut infra ostendemus; ergo non est ponenda in his motibus gratiae excitantis talis eleuatio, vel instrumentalis affectio sine aliquò fundamento, vel necessitate. Declaratur tandem à simili, quia etiam potest Deus efficere in nobis habitum, v.g. charitatis per primum actum charitatis, tanquam per instrumentum physicum, & simili modo illum augere per actus subsequentes, & tamen, ut infra videbimus, communiter id negatur, quia illa effectio non est connaturalis, & miraculosa non est asserenda sine fundamento reuelationis, seu auctoritatis. Denique tamen de contritione, ut est pars Sacra-

menti Poenitentiae id verisimiliter credi potest, quia in institutione illius Sacramenti potest probabiliter fundari; ergo sine vilo fundamento simili non est probabilis similis assertio.

Atque hinc tandem probare possumus nostram sententiam auctoritate negatiua, quae in his rebus supernaturalibus magnam vim habet. Et in primis nec D. Thomas, nec alij Theologi antiqui, vel qui ante paucos annos scripserunt, huiusmodi efficientiam motibus gratiae excitantis tribuerunt, quod ego viderim, vel allegatum inuenerim, quamuis diligenter quaesierim, imò, ut supra argumentabar, cum omnes requirant habitus infusos operarios, qui dent intellectui, & voluntati potestatem efficiendi hos actus, eo ipso supponere videntur, nullum actum priorem intellectus, vel voluntatis dare illis virtutem actiuam ad efficiendos alios actus subsequentes. Vnde cum in particulari tractent quaestionem de primo actu, qui est dispositio ad habitum, à quo principio supernaturali proximo eleuatur, multi contendunt dici ab eodem habitu, ad quem disponit, quia profectò supponunt non esse in nobis aliud prius principium supernaturale creatum, & nobis inhaerens ad efficiendum physicè talem actum: qui autem negant illum elici ab habitu, quaerunt alios modos, quibus potentia inuenitur physicè ad eliciendum actum: excitanti autem gratiae illud adiutorium non attribuant, neque etiam in Patribus, aut Conciliis habet illa sententia fundamentum; nullum enim asseritur praeter ea quae in principio allegata sunt, quae nihil probant, ut respondendo facile patebit.

Ad Concilium ergo Tridentinum iam supra dixi, potius ex eo colligi adiuantem, & excitantem gratiam aliquo modo distinguui, quia semper de illis, ut de pluribus loquitur. Neque obstat quod in singulari dicam eadem gratia, tum quia loqui potest de tota illa gratia tanquam de vno adiutorio a completo ex excitante, & adiuuante gratia cui homo cooperatur. Verum tamen est Concilium non explicasse modum illius distinctionis, nec an intercedat inter principia excitantia, vel adiuuantia, vel inter ipsas naturales motiones vtriusque gratiae. Vnde licet concedamus quando Concilium dicit hominem eidem gratiae cooperando se disponere ad iustitiam, referre gratiam excitantem, inde colligi non potest efficientia physica gratiae excitantis in actu gratiae cooperantis; quia etiam causa moralis dicitur operari, & homo dici potest cooperari gratiae excitanti, ut moraliter adiuuat, sicut Iacobi 2. dicitur fides cooperari operibus hominis iusti, & Paulus ad Galat. 5. dicit fidem per charitatem operari.

Eademque responsio habet locum in locutionibus Augustini, omnes enim propriissimum sensum habent in causalitate morali, & si quis illum attentè legerit, non aliam causalitatem tribuit vocatio propria, & physica actione fit à Deo nobis, & ita per illam propriè operatur salutem nostram, sicut homo propriè & physicè efficit contritionem: per illam autem non nisi moraliter, & dispositiuè causat suam sanctificationem & nihilominus in Scriptura dicitur homo poenitens viuificare animam suam, & sanctificare se. quae omnia in libro quinto latius explicabuntur. Ratio autem ibi adducta cum confirmatione non probant ipsam excitationem esse principium physicè adiuuans, sed probant cum excitatione dari, vel praestò esse homini principium sufficiens ad adiutam potentiam, etiam in genere physico.

Quod autem sit hoc principium, in sequentibus capitulis inquiramus.